

53

IMPERATOR CÆSAR
 ALBERTVS I.
 TRIVMPHATOR.
 PIVS, FELIX, AVGVSTVS
 REX GERMANIÆ,
 ARCHIDVX AVSTRIÆ,
 DVX STIRIÆ,
 LANDGRAVIVS ALSATIÆ
 DOMINVS CARNIOLIÆ,
 VINDORVM MARCHÆ, PORTVS NAONIS,
 COMES HAVSPV RGI &c.



N partem triumphorum etiam tu venis MA-
 RIA ANNA magni Cæsaris Filia maximi
 Regum sponsa, cum hi in Austriacam dotem
 tibi cedant, & serenissimum auspiciū regie
 posteritatis, in cuius votis orbis terrarum ar-
 det. Auitæ laureæ nepotibus vernant, etiam
 in ære vetusto,

semperq; renata

*Nobilitate vident, & prolem facta sequuntur,
 Continuum simili seruantia lege tenorem.*

Excipe igitur tu quoque triumphalis Heroïna
 inter victrices tuas Aquilas, literata Tuorum
 venerandis nominibus labara, & lenniscata trophæa aultriadum victoria-
 rum; paludatum palmarâ, laureâque radiantem triumphatorem Augu-
 stum.

*Claud. de
 P. & O.
 C.*

stum Austriacum. Si cum tibi suis coloribus non exhibuero male laudatum, memineris triumphatoribus conuiciatorem datum, non laudatorem.

Spes ad imperium

ALBERTVS is est RVDOLPHI Magni Filius, primus conubiali iure sanctissimo, Principum imperij auctoritate, Prouinciæ precibus, procerum Prouincialium suffragijs, populorum votis, Archidux Austriae, & ex Austrasio Principe, prouidentia numinis consona nominatur iungente, Austriacus Princeps, inter bella victorijs, inter victorias triumphis natus. Sicuti Magni Caesaris paternum solium non nisi magnus implere, ita victoriosissimi non nisi triumphator poterat adire. Prima spes ad imperium fuit ipsa nascendi maiestas: RVDOLPHVM habuisse parentem, & Augustum, & Heroem. Etenim facile, si semel eductus fuerit, felici terræ communis parentis puerperio, totus magnæ stirpis honor continuatur in thyrso, & gemmascens diuite succo nobilis vena, in non degeneres flores, fructusque lata progerminat. Princeps omnium felicitas est, nasci felicem, lactari in purpurâ, perreptare per folia, inter fascium, sceptrorumque magna crepundia lustrare, aspicientem suspici, colloquentem, ridentem adorari, & non quæstam obuiam habere nascendi forte, cum maiestate fortunam. Auxere magnificam spem generis in ALBERTO Pater, non modo Imperator, sed triumphalis, composita ab eodem vicarijs imperijs Italia, pacata felicibus armis Germania, noua fundati Austriæ imperij ad tantam amplitudinem gloria, summi Pontificis, & purpurati senatus gratia, Procerum clientelæ, Regum cognationes, nomen paternum RVDOLPHI Caesaris vbique terrarum militibus gratiosum, principibus charum, omnibus gloriosissimum. Accessit tandem magnum inclytæ spei firmamentum a bellicâ virtute, cuius sibi ingentem famam in paternis victorijs regius Adolescens conciliauerat, sortitus supra Themistoclis fortunam domi trophæa Austriaca, ipsi Miltiadi inuidenda, quibus Magistris in triumphatorem erudiretur.

1278.
In pralio aduersus Ottocarum exempli summa pietatis Alb. praber.

Imperante in occidente Alberto sed imperij sigis in oriente Othomana familia.

In Bohemicâ aduersus Ottocarum Regem victoriâ, cuius beneficio Hauspurgica Familia in Austria regnat, leua crucem, è quâ patibulati Christi imago pendebat, dexterâ gladium bellatorem stringens, utrâque victor in densissimos Hostium globos irruens, ea edidit piæ fortitudinis portenta, vt & Parentem Augustum, quem ingentis facinoris spectatorem, laudatorem que habebat, & omnem Cesarianum militem in admirationem sui traxerit, visaque fuerit diuina quedam vis cælitus inesse pugnanti. Ita Austriacum imperium è cælo in cruce radiante delapsum, crucis scepro a RVDOLPHO conditore institutum, auspiciatissimè eiusdem crucis victoriâ in primo eiusdem conseruatore ALBERTO stabilitur, vt scias magnam molem, & admirabilem, æternamque structuram Austriaci imperij, vnico fere crucis, & catholici nominis gloriosissimi fundamento è cælo in terris firmari. In quò veneratus est orbis terrarum summæ prouidentia consilium, quæ auspice cruce opponens regno impietatis piissimos Imperatores, Imperium occidentis fulgentissimo soli Austriacæ familiae regendum dedit, dum Othomanicæ familiae infensissima crucis gloriæ Luna primo

primò imperiū Orientis occupavit, & occidētes fidei auroræ populos sub iugum barbaricum misit. Extracto augustissimæ cruci imperij Austriaci fundatrici ex victoriæ Ottocarianæ manubijs magnificentissimo templo, noua Germanici Regni arce, & adito Austriæ Principatu, in Hungariam mouens, Gungensium Comitum infestis armis Austriæ fines inuadentiū iniurias ita generosis vindicijs vltus est, vt arces expugnans, euertensque ne quidem ipsa reliquerit iniuriarum munimenta. Et certe ista illustrissimorum prædonum potius latrocinia, quam bella, diu peregrinari non possunt, & solem apertum pati, breui semper interitura, si Patriâ careant, & asyli vmbra. Hostibus proceribus in Hungariâ sublatis, Regis amicitia sibi conciliaturus Agnetem Filiam Hungaro Regi in Matrimonium eloccat, iisdemque nuptijs Austriam Hungariæ maritat, communi deinde spe conceptâ ex illo coniugio Hungaris Regem, securitatem Austriæ nascituram. Principi præstat finitimos alios Principes nisi ferro victi fuerint, aliquo fœdere vincire. Ita dum inter illos feriuntur fœdera, sæpius sanatur fides, & solidatur. Confines Principes, si etiam afines sint, sacro hoc nexu regna stabiliunt.

Interim RVDOLPHO è viuus decedente Imperatorijs dotibus, scientia rei militaris, virtute, felicitate, auctoritate, quas eloquentissimus ille mortalium in suo magno laudauit, nos e magno RVDOLPHO Hæreditarias in ALBERTO Filio suspicimus, quasi quadriungo curre ipse ALBERTVS victoris exercitus ductor, ferebatur ad imperiū, capitolium felicitatis, cum sufflaminante rotam, non imaginariâ fortunâ, sed verâ rerum Dominâ Numinis prouidentia, hæc nobilis quadriga stetit infractâ quidem, sed immota. Cum enim Francofordiam numerosissimo milite instructus properaret, prænsaturus vota septemuirum Augustaliū, astu Gherardi Moguntini, qui e septemuiro Dictator, sibi dolo malo omnem eligendi Prouinciam ab alijs emendicarat, Adolphus Comes Nassanius imperij, cuius meritoria videbatur esse felicitas, Procus, iniquo iure præfertur. Non est nouum phrenetica esse sapientium consilia, vbi male sanum sibi caput imponunt. Ludunt fere semper honores, quia illustres vmbre, prænsatores suos, & omnis ambitio plusquam Tantaleâ fame, ac siti, non nisi fugitiua, & volucra bona persequitur. Non semper festiua sunt, quæ festina. Adire debebat imperium Austriacus, non aggredi, illique gloriosus futurum erat datum, vt innocens triumphus pacatæ victoriæ, quam vt cruenta victoria bellatricis potentia. Expectandum erat tempus, quo constaret ALBERTVM beneficium attulisse Germaniæ, non accepisse, quod regnaret. Gaudia cum alata veniunt, statim auolunt, & celeres partus veluti sibi præreptos fata citius reuocant. E contrario ingentes Fortunæ, & Naturæ partus Elephantum more diutino puerperio cõmendantur, quasi Magnum aliquid ipsis annis concipientibus. Vniones non nisi enitentibus inter tonitrua insolitis fulminibus singuli ægre, & rarè e cælo sudantur. Omnis felicitas, pretiumque nostratum bonorum de Chrystalli ingenio fragilia non ephemera, sed seculari glacie gemmascunt. Eruditur etiam conitantiâ, vt diligentius custodiat, quod difficilius obtinuit. Aliud ex alio malum succrescit; mala si quidem

1291.
kal. Oct.

Tull. in
Pomp.

In impe-
rij penitenti-
ne astu
Moguntini
septem
viri Adol-
phus Nassanius
præfertur.

quidem, sicuti vitia fere numquam solitaria veniunt. Se se magnetico illicio trahunt arcanis nodis, atque vndarum instar inuicem truduntur, ac trudunt, procellasque sollicitant.

*Vienna
ex propi-
nato ve-
neno ocu-
lū amit-
sit.*

In austria rediens Viennæ veneno petitus ab aulicis sycophantis, eò deterioribus, quò occultiores illustres tenebriones, sub adulationis laruâ mendaci, magnificè personatas circumferebant insidias, chariorem, & nobiliorem vitæ partem, alterum oculum amisit. Tota mors, æterna, cæcitas ori ingesta dimidia tantum intrans, oculo hæsit, illumque extinxit. Hæc est luctuosioris Rhenanæ catastrophes, quam deinde dabimus, protasis Viennensis. Ipsidem armis inuida mors triumphatorem nostrum, & orbis triumphatorem Alexandrum inuasit, quem non ferreus Martis gladius, sed aureus Bacchi scyphus prostravit. Visus est illi poculo Pincerna Carnifex Basilisci animam inspirare; ita statim regulus hautus ad oculos grassatus est, & Austriacum Regulum fere exoculavit. Commune aulæ veneficium est excæcatio, sed quia venenum placet, in auro præsertim fascino oculorum, non ad hilaritatem tantum, sed ad insaniam coronatis cyathis largè potatur. Nihil ibi in suis coloribus spectatur: fere omnes Aulici, aut personati sunt, aut Chamæleontes, & falluntur, & fallunt. Os innocentia rarè bibit integrum veneni scelus. Quid sperandum erat Principi de populo, qui pessimos expertus fuerat Optimates? Cautior itaque vnoculus ALBERTVS, reis nefandæ coniurationis sublatis, cæpit Argus esse, dum Cyclops, atq; omnia longè, latèque e speculâ Principum, prudentium nimirum consilio, circumspicere. Vno etiam oculo amisso Germanus Annibal in hostes ferocius ruit, & quam Pænnus eminus ter-ruit Romam, in Romano imperio inuadit, & expugnat.

*Exancto-
rato Adol-
pho impa-
rium Al-
berto de-
fertur.*

*1299.
circa idus
Iulij.*

Nec Adolphi mores amplius tolerari in Germaniâ poterant, nec ALBERTI gloria Austria capi. Exanctorato igitur Adolpho, refixis septemviralibus sententijs, ipsidem malis artibus, quæ acquisierant, imperium perdentibus, magna Germanici Regni alea, mirabiles hosce ludos ludente Fortunâ, iterum in ALBERTVM recidit, ducentem maiorem felicitatem imperio dignum esse, quam videri. Ille tamen reus, singulari fortasse in Historijs exemplo propriæ Cæsareæ maiestatis, quam auro conductus, stipendiariam Anglo Regi aduersus Gallum abiecerat, & in senatu septemvirum damnatus, atque in ordinem redactus, iure belli imperium retinebat, vnde e galeato capite deiciendum diadema fuit, & paludamentum detrahendum pectori loricato. Bonam causam fere semper victoria coronat. Concurritur ergo totius Germaniæ viribus ad Actiacam veluti pugnam, sed Adolpho miseram Antonij sortem subeunte, ALBERTVS euasit Augustus, cæso propria manu pseudocæsare, deletisq; ad interneccionem Adolphianis. Ex illa victoriâ suffragantibus totius Europæ vocibus, procerum senatusconsulto, plebiscito populorum, militum plausu, triumphilo, ALBERTO TRIVMPHATORIS laureatum nomen decernitur supra Numidicos, & Macedonicos, Asiaticos, & Africanos gloriosissimo. Accessit, quæ lauream triumphatori imponeret, abdicato prius imperio, ne videretur extortum armata manu violentè sceptrum, Francofordiensis renunciatio in Romano-
rum

rum Regem, & Aquisgranensis inauguratio in Cæsarem, vniuersâ Ger-
maniâ insolitos plausus dante, tantâ procerum, & Populorum frequentiâ,
vt turba, semper Principibus noxia, Saxonem septemuirum, suffocarit.
Hinc ALBERTVS, quod de nullo alio Imperatore fortasse dici
potest, bis Cæsar, imperauit.

In ipsis primordijs magnâ vi opus fuit, ac manu toties victrice, vt im-
perium Adolphi tyrannide deuolutum in præceps, pristinum statum felici-
tatis acquireret. Comitibus Norimbergensibus indicuntur: In ijs Othonē
Bauarum in gratiam recipit, & RVDOLPHO Filio in Archiducem
Austriæ procerum imperij consensu auctorato, Blancam Philippi Gallo-
rum Regis Filiam Augustâ legatione in matrimonium adsciscit. Hoc
cônubium ita Austriacum, & Gallum iunxit, vt notato deinde anathema-
te Philippo, & iure Regni spoliato à BONIFACIO VIII. Summo
Pontifice, atque ab eodem delato ALBERTO Gallicano sceptro, re-
uerentia sanguinis a spe illecebrosæ prædæ manum absterruerit. Inde ad
armorum studia conuersus post Diotherum Nassanium Adolphi Fratrem
Treuirensis septemuirum, Theobaldum Pyretarum Comitem, aliosque
Dynastas coniuratis animis noua molientes, ad Cæsaris obsequium ada-
ctos, regijs maioribus victorijs manum admouit. Geminum itaque extra
imperium potentissimum Regem inuadit, Vuincislaum Bohemiæ, ac Po-
loniæ, & Andream Hungariæ, ita secundo utrobique successu, vt visus fue-
rit post triumphatoris impositum nomen securus felicitatis, in triumpho
morem, prælia aggredi, victoriâ non solum canente receptui, sed & classi-
cum personante. Sublato e viuus sine hærede Vuincislao, RVDOL-
PHVS Cæsaris Filius ad solium Bohemicum euehitur, & inauguratur. Sed
illum ostendere superi Regno, non dedere, paulò post per summum nefas
veneno extinctum, coarctâ cum eo expirante Bohemica Reipublicæ fausti-
tate. Evocatur illicò a Bohemis proceribus HENRICVS Carinthius ad
Reipublicæ regimen, aduersum quem, vt FRIDERICVM Filium
RVDOLPHO sufficeret, ALBERTVS Cæsar, dum quinquaginta
tres peditum chiliadas, ac tres equitum mouet, in sinu victoriæ glorio-
sissimæ decimo imperij anno, decumanâ, non Oceani, sed fortunæ semper
fluctuantis vndâ, duodecies bellator, victor, ac Triumphator, sui sæculi
Mars Germanicus, obrutus perijt in ripa Rheni fluminis, inter Rufam, &
Atulam amnes. Ita infelici exitu felicissima decem annorum ilias ter-
minata est. Vita nostra tenui filo citharæ suspensa, dum argutiùs sonat,
frangitur; tunc enim sæpe lethum nos occupat, cum læta meditatur.
Auxit calamitatem, quod coniurationis Princeps Ioannes fratris filius,
cum quo lis erat de asse paternæ hæreditatis, Vlrico, Vualtero, & Rudol-
pho poceribus facinorosissimi sceleris socijs stipatus, ausus est primus fer-
rum stringere, & ingulum petere Magni Austriaci imperij seruatoris, exhor-
rescente nefas Orbe terrarum, præfida Europâ lætuum largiter impenden-
te, nec toto Rheno tantæ impietatis portentum emaculante, vlloue sæcu-
lo memoriam oblitterante. O naufraga Cæsarium fortuna etiam in litore,
vbi illa primi Cæsaris tuta in alto videbatur! O laurigeras Cæsarium fron-
tes, quibus ignea Cælitum, non ferrea Hominum fulmina parcunt! O

*In expedi-
tione,
Bohemica
occiditur.
1308.
Kal. Maij.*

magna non casui tantum obnoxia, sed grauiori! Candidi Austriadum fasti hoc vno scelere cruentantur, bis lugendo Austriacis, & cum patratum fuit, & cum punitum. Austria pietas hunc vnicum abortum tulit, cum nemo velit piissimos Principes non esse immortales. Hic vnicus cometes incestauit illustre innocentibus astris Hauspurgicum cælum. Aliquando Aquilæ generosiores plus æquo ferociunt. Siccine auri amores, ferreos mores inducunt? Nec mirum aurum enitente ferro natum, ex parricidio communis parentis telluris, ferro etiam manus ad parricidia armare. Suas quoque in nobis ferrum vindicat plagas, & vulneribus eruditur ad vulnere. Non merebatur ALBERTVS, qui vixerat vt Augustus, conuiuari vt Claudius veneno petitus, mori vt Tiberius occisus a fratris filio, cuius tam dulce nomen, & Filij tenerrimo nomini proximum. Habent Germanæ Heliades scium ad Rhenum, non Eridanum, quem lugeant electricarum lacrymarum pretioso fletu naufragum Phaetontem. Citò euauit post primum Austriadum Cæsarem Iulium sidus. Occubuit tamen, non procubuit ALBERTVS, prius transosso iugulo, tum secto laxiori vulnere capite, vt magne animæ pateret via. Stans, vt Impetatorem decebat, mortem excepit, ac terruit, spiritum efflans mundo, atq; interfectoibus ipsis formidabilè. A besse deinde noluit a Paterno sepulcro ALBERTVS, qui solio successerat. Eius corpus Vethingâ vbi primum tumultatum fuerat, Henrici VII. Imperatoris iussu in Paterno Mausoleo Spirensi reconditur, vno tantum palmo ab Adolpho imperij emulo distans, coniunctis in vnum loculum augustis cineribus illorum, Cæsarum, quos non capiebat totum occidentis imperium, & quibus angustus erat orbis terrarum. Nemo in tumulto tumidus: etiam ille Magnus Macedo, a quo plures mundi ad gloriosam insaniam ambitiosis votis suspirabantur, nec breuem vnam impleuit.

Fuisse in Alberto annales Austrij omnes bellicæ fortitudinis, & ciuilibus prudentiæ numeros, omniû paternarû virtutû decempedâ magno, ferunt. Et certè ex magno Parente nihil minimû expectandum erat. Abominabatur quam maximè Adulatores Palatinos Sinones bilingues, vere Proteos aulicos in omnia versiformes venalibus linguis. Execrabatur etiâ acrius Quadruplatores incendiarios crudelitatis in Principe, miseriarum in populis, vtrisque noxios. Et quia gemelli fratres sunt odium in vitia, & amor in virtutes, ex aduerso tria Hominum genera impensius ceteris colebat, Religiosum Clerum, pudicas Fæminas, fortes Milites. Amores, animos in similes ferunt, odia in dissimiles. Hoc ipso tergemino amore ter maximus, veluti nobilissimo trilogio satis laudatur. Nemo Austriadum Cæsarum magis superstes fuit post fata, felicitate posthumâ liberorû copiosiori. Vnus, & viginti in Austriacis fastis numerantur. Totidem ferunt Astronomi cælum Septemtrionale stellis accendi, atque illustrari, quot Imperatrix Septentrionis Familia Austriacos ex ALBERTO censebat serenissimorum titulorum heredes.

Ita adolesebat triumphis Austriacum imperium inter victorias natû, seruatumque a triumphatore ALBERTO Tibi, ac Tuis MARIA ANNA, quæ in Te, ac magnâ, quam auspicijs omnibus auspiciamur posteritate

Alb. amores & o-
dia.

steritate, ingens es **AVSTRIÆ DOMVS INCREMENTVM.**
De Augusta vero hac tuâ domo dici potest, quod de Alcidae domo ce-
cinit Lyricorum Vatum Princeps Pindarus propter victoriarum, ac
triumphorum numerum fuisse custodem coronarum non in sinu tantum
Græciæ, vt ipse prædicabat, sed Orbis vniuersi.

Aultriaca supra Theodosianam.

*Plena laurearum.
Imperio facta domus
Vix numerat triumphos.*

Cl. in
nupt. H.
& M.

Ipsi tui soli **FERDINANDI**, ac **PHILIPPI**, nomina sunt, vt
de Marci Marcelli nomine celebrauit **Valerius Maximus in æterno-
rum triumphorum gloriosissima.**



60
ALBERTVS I. TRIVMPHATOR
Epinicion

Austriaco Herculi Triumphatori ALBERTO
Io dicite Paan.

Ob seruatum victorijs in Austriaca domo
A RUDOLPHO magna Parente fundatum imperium.

Io dicite Victor: Io triumphe.
Cedenti Atlanti imperium Austriacum,
cum caelo, quod illi innititur,
Iure Hercules succedit Triumphator,
RUDOLPHO, ALBERTVS,
Heros Giganti.

Non nemaum induit Leonem, sed Hauspurgicum
potiori iure caelo donandum;
vbi innocens omnibus Coronatus Leo,
Caeli tantum hostibus nocet.
Nodosa claua victorijs attrita, qua monstra fregerat,
in sceptrum migravit leue, quo homines regeret.
Ut orbem terrarum Hercules
ita monstribus ALBERTVS purgauit imperium;
Nulla tamen monstra inuenit praeter Homines,
Eiurata humanitate Principes feras.
In poculis despumantes Iunonios Angues
si non elisit, saltem elusit.
Multicipitem Hydram
In venenata multorum capitum coniuratione
Herculeo more
igne messuit, & ferro victore.
In Aula, qua Humanitatis Regia videtur
omne monstrorum genus edomuit.
Eadem infidelitatis Circe impia metamorphosi

Honori

*Hominibus in bruta conuersis,
 Aripedes Ceras obiecit,
 infames stymphalides,
 igniuomos Tauros,
 trifauces Cerberos.*

*Principes numquam non Hercules sunt,
 Quia semper Aula Africa est monstrorum ferax.*

*Martis Filius Adolphus,
 Borea Filij Boreales Pannonia, & Bohemia Reges,
 Non nisi Herculea poterant manu superari.*

*Ubi ad imperium peruenit
 Herculeum statuit NON PLUS ULTRA Humana felicitatis.*

*Exantlatis etiam duodecim bellis, ac patrativis victorijs
 duodenarij Herculei laboris Zodiacum percurrit.*

*Tandem qui Euristheum mitiorem in Patre,
 Iunonem sauiorem expertus est in fratris filio.*

*Magnum vtrinque scelus, & consanguineum,
 siue nouercali philtro pareas,
 siue manu parricidali.*

*Nessi nimirum purpuram cum Hercule induerat,
 Ubi purpureum, inauguratus Casar, paludamentum.*

*Ipsa indutus non in Oeta, sed ad Rhenum,
 Quod mireris, fere in aquis conflagrauit,*

*Ingens ALBERTUS Triumphator, Heros infelix,
 Cum Oetao Hercule tragediae argumentum.*



SYNOPSIS GENEALOGICA
 AB ALBERTO I. TRIUMPHATORE
 AD FRIDERICVM III. PVLCHRVM.




EX ELISABETHA Meinhardi Ducis Carinthiæ, & Comitis Tyrolis, ac Goritiæ Filia ALBERTVS triumphator familiam Hauspurgicam felici multorum Liberorum auctario propagauit. Horum nomina sunt ex Austriacis annalibus additis cognomentis, quibus cohonestauit Magnos Principes illa ætas, numquam non celebranda.

RVDOLPHVS MITIS
 FRIDERICVS PVLCHER
 LEOPOLDVS GLORIOSVS
 OTTO IOCOSVS
 HENRICVS PLACIDVS
 ALBERTVS SAPIENS
 AGNES
 CATHARINA
 ISABELLA
 MARGARITA
 ANNA
 GVTHA, SIVE IVTHA

Alij vel antecesserunt, vel ita breui sequuti sunt Parentem Obeantem, vt nec nomen suum factis inscripserint. RVDOLPHVS mitis primus ex Austriaca familia ad Bohemiæ solium euectus est, non hominum, sed virtutum suffragijs, quibus calculum addidit maximè fauorabilem ANNA vxor Vuincislai pij Filia, hæreditario iure Bohemicum Regnum sibi, ac Marito asserens. Sicuti gratiosissimum semper cælo, ac terris ANNÆ nomen est; ita numquam non auspiciatissimum Austriacæ genti, & inter Charites suas ferens comitem summam felicitatem. ð nomen cum sceptris, coronisque in triumphali domo Austriacæ natum, regnisque dotalibus diues, non lapillis signandum, sed astris, nec auro, sed thesauris populorum! Successit RVDOLPHVS Bohemiæ Rex Austriacus Vuincislao V. iuniori in belli Polonici apparatu, Olomucij sycophantæ Palatini manu per summam impietatem occiso, nec primæ illi nuptiæ cum Blanca Philippi II. Francorum Regis Filia, nec secundæ cum ANNA Bohemæ felicitatem proles attulere. FRIDERICVS pulcher inter Cæsares III. Imperij hæres, summæ constantiæ laude fortunæ victor, & sui, triumphatoris Parentis imago pulcherrima extitit. LEOPOLDVS gloriosus, siue gloria equitum, & militum auratorum, OTTO iocosus, siue, vt alij appellant, venustus, HENRICVS placidus, ALBERTVS sapiens enitentibus virtutibus, factis gloriosissimis, domi, forisque nominis amplitudini magna cognomenta pepererunt. Solum ALBERTO sapienti, natu inter Fratres minimo, cui non sine felicissimis auspicijs commune fuit nomen, cognomentumque cum magni RVDOLPHI imperij Austriaci conditoris parente, ac totius augustæ gentilitatis auctore, propagationem stemmatis cælum indulgit, vt scias illam non hæreditatem paternam esse, sed cæleste donum. AGNES ANDRÆ III. Vngariæ Regis vxor; ISABELLA Friderici III. Lotharinghiæ Ducis, MARGARITA Theodorici IX. Cliuiæ Comitis, GVTHA, siue IVTHA siue, vt alij appellant, BONA, Ludouici Comitis Æthingensis, regijs affinitatibus Austriacam potentiam amplificauerunt. ANNA primis nuptijs Hermano Marchioni Brandeburgico elocata est in matrimonium, secundis Henrico VI. Duci Vratislaviensi. CATHARINA Henrico VII. Cæsari, post ALBERTVM Austriacum res imperij moderanti desponsata, eo sublato, non sine veneni suspitione, in Italia, Carolo Duci Calabriae Roberti Regis Siciliae Filio nupsit.

ELISABETHA ALBERTI Cæsaris coniux, ea, quæ Regiarum Austriadum dos est, pietate, tum maxime inclaruit, cum extructo palatinis redditibus illustri cænobio, quod campū Regium vocarunt, augusti mariti manibus parentans, veram Christianam apotheciam magnificè, ac religiosè procurauit. Ita de æuo omnium domitore ALBERTVS Triumphator in nobili prole triumphauit. Hunc tibi, inter alios laureatos, triumphum MARIA ANNA, & MONARCHÆ CONIVGI Potentissimo votis omnibus, & omnium, destino.



Small, faint text or a signature located at the bottom right corner of the book cover.